






*[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*





1657.

1. Bechmann, Johannes Bartholomaeus: De Lusacia
2. Richter, Christophorus Philippus: De tributis
3. Jagstarius, Joh. Christophorus: De homagio.
4. Schroeterus, Ernestus Fridericus: De patria potestate
5. Schroeterus, Ernestus Fridericus: De advocatis.
6. Stuve, Georg Adamus: De actionibus.
7. Stuve, Georg Adamus: De obligatione
8. <sup>et</sup> Stuve, Georg Adamus: De solenni obligatione ritibus
9. Stuve, Georg Adamus: De foro seculari et ecclesiarum  
sive in Imperio Romano - Germanico competente
10. Thomae, Johannes: De aleatoribus.
11. Thomae, Johannes: De religiosis
12. Thomae, Johannes: De revocatione fundi
13. Thomae, Johannes: De usucapionibus et praescriptio-  
nibus.
14. Thomae, Johannes: De non numerata pecunia.


15. Thomae, Johannes : De anargyria
16. Thomae, Johannes : De pecunia numerata
17. Ungepaur, Erasmus : De cedendis actio nibus
18. Ungepaur, Erasmus : De accessionum quibusdam  
maxime controversis speciebus

1653.

1. Olpius, Severus Christophorus : Legatus.
2. Richter, Christophorum Philippus : De exceptione  
non numeratae pecuniae
3. Stevoglus, Paulus : De potestate legis in republica
4. Stume, Georg Adamus : De jure pacis.
5. Stume, Georg Adamus : De jure accrescendi.
6. Stume, Georg Adamus : De libertate naturali restituta.
7. Thomae, Johannes : De duobus reis.
8. Thomae, Johannes : De jure vario

eta.







DISSERTATIO INAUGURALIS  
JURIDICA,  
DE

24.

1651, 12

A3

REVOCATIO.  
NE FEUDI,

*Quam*

DIVINA ADSPIRANTE GRATIA  
AUTORITATE ET DECRETO

*Magnifici & Nobilissimi Jctorum in illustri Salana Ordinis*

SUB MODERAMINE

*VIRI Nobilissimi, amplissimi & excellentissimi*

Dn. JOHANNIS THOMÆ,

U. J. D. & P. P. celebratissimi, Consilarii Sa-  
xonici, Facultatis Juridicæ ac Scabinatus Adfes-  
soris spectatissimi,

*Dn. patroni ac promotoris sui atatem colendi,*

PRO LICENTIA

*adipiscendi*

Summos utroq; in Jure honores, privilegia  
& immunitates

*Ad diem 13. Junii*


Publicæ censuræ submittit

JOH. LEONARDUS Kellner/  
Crucisburgo Thuringus.

J E N Æ,

Litteris GEORGI SENGENWALDI, Anno clj lxx li.







IN NOMINE SACROSANCTÆ ET INDIVIDUÆ  
TRINITATIS, DEI PATRIS, DEI FILII,  
ET DEI SPIRITUS SANCTI,

*Benedicti & benedicendi in secula seculorum!*

**D**isquirenti mihi in tanta multitudine  
atq; copia materiarum juris, quam  
potissimùm ex illis, ut ita dicam, exi-  
merem & pro cōsequenda honores Docto-  
rales in utroq; Jure assumendi licentia ad  
disputandum de more publicè propone-  
rem, pænè dicam innumeræ occurrerunt:  
quarum cum plurimæ me pulcritudine suâ  
invitarent, & modò illa modò ista ad se secu-  
turum trahere videretur, rapuit qs. dubita-  
bundum derepente hæc Juris Feudalis par-  
ticula, quæ **DE REVOCATIONE FEUDI**  
inscribitur, dignissima tandem visa, quæ  
propter nobilissimas, quæ circa eam cum  
in Scholis, tum in judiciis ventilantur, con-  
troversias, eruditorum examini subjicere-  
tur. Eam igitur, Bono cum Deo, hac fini  
solitis Disputationum cancellis cir-  
cumscribemus.



**A** principio quidem non opus  
 esse putamus, ut multis in evolutione  
 Feudi *πολλαχῶς λεγομένῃ* immoremur,  
 cum nemo ferè nesciat, id vocabuli sæ-  
 pissimè pro re, quæ à Domino, vasallo  
 datur; nonnunquam pro titulo, seu con-  
 tractu, per quem vasallo jus in ista re constituitur; non  
 rarò tandem pro illo ipso jure, in re feudali per istum  
 contractum constituto, usurpari. Sufficit nobis, quantum  
 ad præsens, si verbo indicaverimus, nos hîc loci, ubi de  
 Feudi Revocatione acturi sumus, feudum in primo signi-  
 ficatu accipere: quanquam nec secundam nec etiam  
 tertiam acceptionem prorsus hinc excludendam esse ar-  
 bitremur.

II. Deinde, quoniam omnes res in feudum dari  
 possunt, hoc est, jus feudi in omnibus rebus consistere  
 potest, modò sint soli, i. e. immobiles per se, ut fundi,  
 prædia, silvæ, castra, Comitatus, Ducatus, & regna deni-  
 que ipsa; aut solo cohærentes, ut fructus pendentes,  
 ædificia &c. aut deniq; inter immobiles computentur, ut  
 jura, actiones, servitutes, &c. *Rosenthal post Dd. comm. in  
 Tractatu Feudali, c. 4. Concl. 1.* per se patet, ad omnes quo-  
 que illas, eam quâ de agimus, Revocationem pertinere.  
 Imò si qui, res mobiles etiam ad censum rerum feuda-  
 lium referri debere, evictum darent, iis etiam remedium  
 hujus Revocationis indulgere non dubitarem.

III. Porrò cum res jam enumeratæ non eâ lege à  
 Domino, vasallo concedantur, ut liberrimam habeat de  
 iis pro lubitu disponendi facultatem: sed ut jus tantum  
 quoddam in re, non planè irrevocabile, quod alii usum-  
 fructum,

fructum, nos dominium utile appellamus, consequatur, quod non raro à Domino, penes quem dominium directum remanet, etiam aliis certo modo in investiturâ communicatur: facile exinde deducere est, non permissum esse vasallo, feudum alienare, nisi Domini, & eorum, quorum interest, consensu ad hoc prius rite impetrato. Secus si fiat, integrum fore, cum *Domino*, tum *Successoribus vasalli*, feudum illud alienatum revocare.

IV. Ac defectus consensûs Domini quidem adeo annihilat statim ab initio rei feudalis alienationem, ut contractus iste sit ipso jure nullus, & feudum non expectatâ sententiâ condemnatoriâ (Declaratoriâ tamen, saltem ad possessionem avocandam, omitti non posse, Dd. volunt) tanquam caducum ad Dominum revertatur. Quod quidem extra dubitationis aleam positum est in casu, quo nulli liberi vel agnati alienatoris adsunt, vel iis existentibus, illorum consensus ad alienationem fuit adhibitus. Verum si isti in alienationem non consenserint, res inter interpp. est litigiosissima. Sunt enim qui propter *vers. Deniq. §. 2. II. Feud. XXIV.* indistinctè statuunt, feudum non habitâ ratione vel descendendum, vel agnatorum, ad Dominum devolvi, & quidem non quamdiu vivit possessor, sed in perpetuum, atque adeo irrevocabiliter, quorum sententiam communiorum, in Camera receptam, & ab ea in judicando non recedendam esse tradit *Gail lib. 2. de pac. publ. c. 13.* Nonnullis v. hæc juris feudalis dispositio perquam dura videtur, propterea, quod iniquum foret, agnatum ob delictum vasalli jure suo proprio privari; ideoque jus istud expressum æquitate temperandum, & agnatos si non statim attamen delincente cum descendentes è vivis sublato, ad feudum commissum admittendos esse existi-

mant, *arg. c. 1. in fin. de Cap. Corrad. II. Feud. XL. l. 48. §. 1. de Jur. fisc. l. 69. §. 1. de legat. 2. l. 77. §. 4. eod. l. 1. C. comm. de manum.* quas *ll.* ad hoc inducit *Hartman. Pistor. p. 2. q. 15. quem sequitur Magnif. Dn. Carpzov. p. 3. Const. Elect. 27. def. 8.* Quorum sententiam tūm sine ullo dubio procedere arbitramur, quando agnati proprio suo facto ex investiturā jus quæsitum nacti, vel æquè principaliter investiti sint, ut, si conjunctam in feudo, quam vocant, manum (die gesambte Hand) habeant, aut feudum familiæ & generi sit concessum, *Dn. Carpzov. d. Def. 8. nu. 19.* Quippe cum nec filiis feudum, quod ipsis æquè principaliter ac patri, vel patri ipsorum intuitu & contemplatione concessum fuit, propter delictum patris in personam Domini commissum, propter eandem rationem sit auferendum. *Id. ibid. def. 7.* In tantum, ut hisce quidem in casibus in foro Saxonico nec expectanda quidem mors sit alienatoris, sed liceat agnatis simultaneè, vel æquè principaliter investitis feudum revocare, vivo etiam dum alienatore. *p. 2. Constit. Elector. 48 in princ. vers. Wo illicitè, und also ohne des Lehnherrn Consens die alienation geschehen / so wird der Agnat, oder gesambt Belehnte / alsobald noch bey Leben des Alienatoris zugelassen. Carpzov. ibid. def. 14.*

V. Quod autem ad Successores attinet, cum in feudis, ut notum est, succedere nemo possit, nisi quæ vel mores feudales admittunt, vel expressa investiturarum pacta ad successionem feudi vocant; & verò hæc vocatio non uno modo in investituris fieri soleat; sed nunc ita, ut constet, Dominum respexisse in Successoribus ad jus sanguinis, sub cujus qualitate ipsis velit concessam successionem, ut fieri amat in feudo non-hereditario, & maximè eo, quod ex pacto & providentia appellitant: nunc  
ita)

ita, ut appareat, Dominum concedentem magis ad qualitatem hæreditariam in successoribus, quàm ad qualitatem sanguinis respectum habuisse, id quod accidit in feudo hæreditario: inde est, quòd in investiturâ vocati, sicut in feuda eadem ratione non succedunt, ita etiam illa eodem modo revocare non possint. Proinde de revocatione feudorum agenti, diligenter distinguendum videtur, an *Feudum revocandum sit Hæreditarium, an non-hæreditarium, aut ex pacto & providentia: item Novumne sit, an antiquum.*

VI. Sed quid est feudum hæreditarium, quid non hæreditarium & ex pacto & providentia? non immeritò quis rogitaverit. Tantæ enim circa has species, earumque specificas differentias ac effectus, sunt controversiæ ac contentiones, ut *Rosentb. d. tract. c. 2. Concl. 33.* eas Gordio nodo intricatiores censeat, & usque adeò difficiles, ut sperare non ausit, quod unquam componi possint, nisi DEUS principes excitet, qui eas Imperatoriâ autoritate, tanquam gladio quodam Alexandrèo dissecent qs. ac sopiant. Ita tamen vulgò, secundùm majorem partem omnium Interppr. describi ait: Si in investiturâ dicatur concessum seu susceptum pro se & hæredibus, id sit judicandum hæreditarium: Non hæreditarium v. seu ex pacto & providentia, si investitura dixerit, pro vasallo & ejus liberis, seu filiis, aut aliis similibus concessum esse, nullâ hæredum factâ mentione. Nos verò, ut jam §. præcedenti innuimus, illud dicimus esse *Feudum hæreditariû*, in quo jure hæreditario secundùm dispositionem juris Civilis; *non hæreditarium* autem, in quo jure sanguinis, secundùm providentiam juris feudalis succeditur. videat. *Vultei. lib. 1. de feud. c. 8. numer. 26. Carpzov. Synops. Feud. Disputat. 2. thes. 29. Gothofr. Anton. Disp. Feud. 1. th 8.*

VII. Ut

VII. Ut autem sciri possit, hoc ne an illo modo successio in feudo fieri debeat, verba investituræ, quæ in ejusmodi casibus fluctuantium sola ferè & certissima Cynosura est, probè & accuratè inspicienda sunt, quæ si vel expressim, vel æquipollentibus formulis, feudum alicui zum rechten Erblehn/ zum Erblehn/ für Erben und Erbennehmen/ pro se & hæredibus quibuscunque &c. concedant, successio fit jure hæreditario, ita ut ejusmodi feudum eadem sub qualitate, quâ cætera bona vasalli allodialia, cum quibus feudum hoc in casu eandem hæreditatis massam constituit, ad successores vasalli quoscunque devolvatur. Quòd si v. investitura vel planè non faciat mentionem hæredum, sed liberorum tantum, aut filiorum: vel faciat quidem, sed simpliciter, pro se scil. & hæredibus, Ihm und seinen Erben (ut præsumtio sit, concedentem, secundum materiam subjectam, de hæredibus tantum propriè feudalibus loqui) aut cum quodam *ωεσδιουερω* jus sanguinis innuente, v. g. Ihm und seinen Mannlichen Leibes Erben/ seinen rechten Leibes Leihens Erben/ derselben rechten Mannstan ms Schild und Helms Leihens Erben/ allein ihren Mannlichen Leibs Leihens Erben/ des Nahmens/ Helms/ Schildes und Geschlechts / ihm und seinen Mann Leihens Erben / seinen Mannlichen Leibs Erben etc. tunc successionem fieri volunt jure sanguinis, non hæreditario; quod feudum tum non sit de massâ hæreditatis, aut aliqua ejus portio: sed retineat suam naturam feudalem, ab hæreditariâ prorsus separatam, quæ faciat, ut successor ejusmodi feudum capere possit, etiamsi repudiet defuncti hæreditatem. Quod olim in hujusmodi feudis non hæreditariis indiscriminatim, tam quoad filios, quàm agnatos receptum, postea *per tit. XLV. II. Feudor.* propter reverentiam, quam filii parentibus



rentibus debent, quoad illos restrictum fuit, ut nim. illi feudum à patre ad ipsos devolutum aliter retinere non possent, nisi si simul hæreditatem paternam adirent, eaque aditione honorem parentis conservarent. Quæ tamen restrictione impedimentum tantum filiis objectum esse, quod in causa sit, ne feudum aliter retinere possint, quam si simul adeant hæreditatem; nequaquam verò eam, tanquam extrinsecam conditionem, qualitatem feudi non hæreditariam, etiam respectu filiorum, utpote jure sanguinis etiam num post *dict. tit. XLV.* dispositionem, succedentiū, sublatam esse, sed feudum illud adhuc in naturam suam propria non-hæreditaria persistere, Doctores præsertim illi, quos Pyleanos vocat Rosenth. cum hasta cum scuto contendunt. Imò negant Interpp. illam ipsam dispositionem etiam quoad filios, in omnibus feudis non hæreditariis obtinere: sed adhuc inter ipsa feuda non-hæreditaria discrimen faciendum esse. Quædam enim feuda dicunt esse non hæreditaria simpliciter ita dicta, ut quando feudum pro se, & hæredibus, vel etiam simpliciter concedatur: quædam v. feuda non-hæreditaria peculiari nomine appellari ex pacto & providentia, quæ nim. dentur, pro se & liberis, seu filiis. In illis quidem ajunt Interpp. obtinere dispositionem *d. tit.* sed non in hisce: quia primus acquirens hæc feuda liberis & filiis quatenus talibus primum acquisivisse existimaretur: quæ provisio id operaretur, ut filii ejusmodi beneficia viâ successionis consequi possint, etiam si omitterent hæreditatem paternam, quod argumento // ex Jure Civili desumtarum, quibus per jus feudale nullibi expressè derogatum, probatum eunt *Illustris Baro Schenck à Tautenburg, Zas. Kling.* & alii, quos magno catalogo recenset, eorumque sententiam supremi Imperii Tribunalis præjudiciis confirmat *Rosenth d. tr. c. 2. q. 33.*

B

II. X. Feu-

IIIX. *Feudum novum* quodnam sit, in jure feudali satis est expressum, nim. illud, quod à vasallo primò quæsitū est, *vers. Novam. II. Feud. XXXII.* vel, ut plenius *Vultej.* describit *i. de feud. c. 9. nu. 4.* cujus causam acquirens non habet ab alio, nisi à seipso, & domino concedente. Unde etiam patet, quod *Feudum antiquum* illud sit, quod à superioribus est acquisitum. *vers. paternum. II. Feud. L.* vel, *secundum Vult. d. l.* cujus causam quis habet non à seipso, sed ab eo, qui primus feudum acquisivit & constituit.

IX. His ita præmissis, si feudum cum consensu Domini quidem, attamen sine consensu eorum, qui in investitura ad successionem sunt vocati, fuerit alienatum, alienatio quidem illa ab initio stabilis, neq; ut ea, ad quam consensus Domini non accesserat, prorsus nulla est: sed ex post facto, vel in effectu demum suo infirmatur, & invalida constituitur, quatenus sc. illi, quorum ex tenore investituræ interest, alienationi factæ nolunt acquiescere, sed feudum per illam interversum actionibus competentibus recuperare contendunt. *Vult. d. l. c. II. n. 79.*

X. Cum v. (præter casum, quo quis proprio facto per simultaneam investituram jus sibi ipsi quæsivit) illorū potissimū interesse queat, qui ex jure sanguinis, cujus intuitu ad successionem feudi vocati sunt, jus quoddam quæsitum & ita radicatum, ut facto alterius ipsis auferri nequeat, in feudis alienatis jam nacti fuerunt; in *hereditariis autem feudis* jus illud sanguinis planè non attentatur, prædominante scil. & jus sanguinis, si quod adsit, penitus supprime jure hæreditario, ita ut vim suam exercere, & alteri jus quæsitum parere neutiquam possit: vel cæcus videt, *feuda hereditaria* Revocationi obnoxia, haud esse. Qualitas enim illa feudi hæreditaria in successore alienantis id operatur, ut propter identitatem personæ,

sonæ, quam jus fingit, factò prædecessoris, atque adeò q̄s. proprio contravenire, & perfectam jam alienationem rescindere nullo modo permittatur. Feuda igitur hæreditaria, sive nova sint, sive antiqua, neque à filiis neq; ab agnatis revocari possunt, quod uno ore omnes fatentur. quare ea missa facimus.

XI. Sed in *feudis non-hæreditariis*, tam eo, quod ex pacto & providentia, quàm illo, quod *impropriè hæreditarium* alii, nos in specie *non-hæreditarium*, (generali nomine, certæ speciei, quod in Jure Civili non infrequens, attributo) confusionis evitandæ ergò vocabimus, distinctionibus nonnullis, inter subjecta scil. revocare volentia, qui vel *fili* sunt vel *agnati*; & deinde inter objecta, feuda, puta, revocanda, quæ vel *nova*, vel *antiqua*, utendum est.

XII. *Feudum in specie non-hæreditarium novum neq; filii, neque agnati* revocare possunt. non hi: quia agnati in feudis novis planè non succedunt, nisi expressam eorum mentionem investitura fecerit. Ergò etiam alienata revocare nequeunt: cùm jus revocandi à jure succedendi tanquam causa sua planè dependeat, neq; eo sublato subsistere possit. Imò etiam si illi in investiturâ expressè vocati fuerint, nihilo tamen magis ad revocationem sunt admittendi. Agnati enim in ejusmodi feudis novis jus radicatum nondum habent, sed nudam saltem succedendi spem, quæ quorum est constituta conventionem, eorundem quoque præcidi potest contrario consensu. *Hartm. Pistor. lib. 2. p. 1. q. 4. nu. 44. Rosentb. c. 9. q. 66. n. 1.* Non etiam illi, quia præter jam adductam rationem, quæ etiam in ipsis militat, filii factum parentis præstare multo fortius adstricti sunt, neque ipsis concedendum, ut voluntatem ejus in eo, quod solo ipsi beneficiò habituri erant, impugnare queant.

XIII. Dico solo ipsius beneficio: si enim ipsorum quoque filiorum intuitu feudum patri, & ita utrisque æquè principaliter concessum appareat, rursus aliud dicendum est: sicut & tùm, quando agnati de feudo novo, secundùm consuetudinem Saxonicam, simultaneè fuerint investiti. Quia enim ibi agnati, quos aliàs Jus Saxonicum à successione feudi, etiam antiqui planè excludit, singuli semetipsos, vivente etiam dum possessore, investiri curant, per hanc simultaneam investituram illi proprio facto jus quæsitum in feudo consequuntur, in quo vasallus possessor ipsis per alienationem nullo modo præjudicare potest, quo minùs defuncto alienatore feudum alienatum, qualecunque etiam fuerit, sive hæreditarium (sc. improprie) sive ex pacto & providentiâ, novum vel antiquum, vi simultaneæ investituræ semel impetratæ revocare queant, *post alios Dn. Carpzov. p. 2. Constit. 48. def. 1. & 2.*

XIV. Quantum ad *feudum non-hæreditarium antiquum*, Scinditur incertum sensa in contraria vulgus. Vulgus inquam Interpp. ut videre est apud nobilissimum Germaniæ nostræ Jctum *Hartm. Pist. lib. 2. q. 14. n. 2. & multis seqq.* Sunt enim qui tradunt, tam filium, quàm agnatum, ejusmodi feudum posse revocare. Fuere alii qui utrosque à revocandi facultate arcendos esse putaverunt. Nos inter istos, frontibus adversis decertantes, mediâ incedemus viâ, & quod *agnatis adimi non potest revocationis beneficium, filiis denegabimus, arg. d. t. XLV. II. Feudor: add. sereniss. Saxonis Edict. Torgav. de anno 1583. tit. Welcher gestalt die Agnaten und Niebelehnten §. Es sollen. & §. da aber ein Vater etc.*

XV. De *feudo ex pacto & providentiâ novo*, idem statuendum est, quod de feudo novo non-hæreditario, nim.

nim. & filiis, & agnatis revocationem ejusmodi feudorū  
abjudicandam esse, per rationes *supr. tb. XII.* adductas,  
quæ non minus in hoc, quam in illo, locum habent; ut  
proinde ea, quæ paritas rationis necesse, quoad disposi-  
tionem juris non sint sejungenda aut separanda, per  
vulgat. De antiquo iterum maximum, & implacabi-  
le Doctorum discidium est: *Hartmannus enim Pistoris*  
etiam hoc feudū à patre alienatum *filiis de agnatis e-*  
*nim quin possint, nullo dubitatio est) revocare planè*  
*non valere, doctissimis ingeniosissimisque argumen-*  
*tis evincere annitur, lib. 2 p. 1. q. 13. nu. 34. & seqq.* ita  
ut in sententiam suam perduxerit *præter alios Herman-*  
*num Vultej. lib. 1. Feud. c. 11. nu. 83. imò ipsum quoque incly-*  
*tæ memoriæ Archiprincipem, Augustum Saxonæ Electro-*  
*rem, in d. Ord. Torgau tit. Welcher gestalt die Agnaten,*  
*und Mißbelehnten etc. §. diemeil aber junct. §. Sezen/ord-*  
*nen/und wollen demnach.* ubi memoratam *Pistoris sui*  
opinionem autoritate legis munivit, ut secundum eā  
in provinciis Electoratus Saxonici jam quotidie pro-  
nunciatur, *Dn. Carpz p. 2. Constit. 48. def. 9. ubi tamen def.*  
*seq. 10.* hoc rursus limitat in filiis, quibus unā cum pa-  
tre, vel quorū contemplatione patri feudum fuit con-  
cessum. *Hartmanno Pistor.* antagonistam se sistit *Henri-*  
*cus à Rosenthal in d. tr. Feud. c. 9. Concl. 71* ubi causam filio-  
rum suscipit, eosq; ad revocationem feudi hujusmodi  
antiqui ex pacto & providentiā admittendos esse, re-  
futato uno atque altero *Pistoris* argumento conten-  
dit; Cui etiam suffragatur *communis & concors DD. opi-*  
*nio, teste eodem Dn. Carpzov. d. def. 9. & def. 11.* ubi expre-  
sè dicit, extra Saxonæ Electoratum filios benè posse  
ejusmodi feudum à patre alienatum revocare.

XVI. Verùm enim verò quæ modò de filiis & agnatis diximus, quod sc. illis feudum ex pacto & providentia antiquum; his v. etiam feudum non hæreditarium, absque consensu suo alienatum revocari permissum sit, procedunt, quando filii hæreditate parentis abstinent, vel agnati hæreditatem defuncti repudiant: fallunt v. si parenti vel agnato in allodio succedere præsumant: eo enim ipso, quo agnoscunt hæreditatem defuncti, voluntatem quoque ipsius agnovisse, & factum alienationis comprobasse intelliguntur, quod propterea, etiamsi damnosum ipsis sit futurum, etiam in feudo, cujusmodicunque illud fuerit, præstare merito compelluntur. Poterunt tamen damnum illud Jure Civili, Jure Saxonico, quo hæres nunquã ultra vires hæreditatis tenetur, ipso jure tuti videntur, quò fortè respicit, *Ord Torgau. §. Es sollen. agnatos, etiam in casu, da sie gleich aus gutem willen Erben worden, ad revocationem feudi tam non hæreditarii quàm ex pacto & providentia, admittens adde tamen Dn. Carpov p. 2. Const. 48 def. 3.*) præcavere & evitare, si antequam hæreditatem adeant, legitimum inventarium (quo factò, filium quoque, secundum *tit. XLV. Feud. II.* hæreditatem paternam necessariò adeuntem, feudum non hæreditarium antiquum, *dict. tit.* dispositione non obstante benè revocare posse, quidam statuunt, eò quod per solam istam aditionem satisfactum moribus feudalibus, & parens sufficienter ab injuriã vindicatus esse videatur per hoc, quod ejus hæreditas non ipsius nomine, sed filii, fuerit distracta, cui propterea hoc casu salutare Juris Civilis, in jure feudali nusquã expressè abrogatum Beneficiũ ad retinenda sine damno salvaque conservanda bona feudalia, qualitate sc. hæreditaria  
mini-

minimè affecta, nequaquam sit abjudicandum, quod nos in medium relinquimus) confecerint: tunc enim hæreditate fortè valorem feudi alienati non exæquant, non prohibebūtur illud, quod ipsis adhuc deest, seu in quo damnum passi, *per l. fin. §. 10. C. de jur. delib.* à possessore repetere, qui vel partem feudi, si Dominus, & res ipsa, divisionem patiantur, vel hoc illis non permittentibus, totum propter affectionem heredi restituere quandoque tenetur, *arg. l. 35. de minorib.* quo posteriori tamen casu possessor, ut sibi precium, quod dedit, ex hæreditate, quatenus in illa est, reddatur actione, ex emto jure postulabit. vid. *Rosenthal d. tract. c. 9. nu. 2. Conclus. 72.*

XVII. Et hæc quidem de *Jure Revocandi* propriè sic dicto, ita sine dubio statuenda sunt. De jure redimendi adhuc res controversa est. notum enim esse debet, duas filiis & agnatis ad recuperanda feuda alienata jure feudali patere vias: unam, quæ mortuo demū vel naturaliter, vel civiliter alienatore aperitur, qua quis feudum interversum absque ulla restitutione precii, per modum successionis recuperat: alteram quæ aperitur statim per contractum, inter vasallum alienantem, & eum in quem feudum alienatum est, eaq; quis per modum *περὸλυήσεως* feudū alienatum intra justū tempus, refuso tamen precio retrahere potest priori communius *revocare*, posteriori etiam *revocare*, sed specialiori verbo *redimere* *tit. X. Feud. II.* quis dicitur. De hoc igitur *Redimendi jure* adhuc dubium remanet, An nim. non eo saltem filii & agnati (quando sc. hi expressè vocati sunt) feuda non hæreditaria & ex pacto & providentia nova (antiqua enim eos non minus hoc, quàm illo jure *revocare* posse, secundum distinctiones

nes

nes suprâ positas, communius receptum est) repetere queant? quod affirmat *Rosenthal d. c. 9. Concl. 88.* ubi pro filiis adducit §. *porro, ibiq. Dd. omnes. II. feud. IX. juct. l. 12. de suis & legit. & c. constitutus. ibiq. gloss. in verb. Consuetudinem. ac Canonista de restit. in integr.* addens pro utrisq; rationem, quod filius & agnatus jure *πρόληψως* feudum revocantes, contractum ab alienatore celebratum non impugnant aut infringent, sed potius confirmarent, seque solummodò loco emtoris substitui postularent, & hoc jure sanguinis, quem jus retractus arctius, quàm faceret jus successionis, respicere & observare videretur, ut sc proximator redimere posset, etiamsi illi successio non fuisset delata. Et hoc *ibidem Concl. seq. nu. 1.* ampliat, etiamsi filii & agnati vasallo alienatori essent facti hæredes: quod *d. Concl. 88. nu. 3. & 9.* confirmat simili exemplo juris retractus *ex Constit. Frederici V. Feud. XII.* nec non ex consuetudine, in aliis rebus competentis, quod dari ait, etiamsi successione proximi illas res nunquam caperent, nisi jure merè hæreditario. Quæ si vera sunt, non potest non exinde sequi, etiam feuda hæreditaria, sive antiqua illa sint (de quibus fortè facilius Rosenthalio concedi possit, quòd lugubre sit filiis & agnatis, videre avita bona in exterorū manus pervenire) sive nova, hoc jure retractus revocationi filiorum & agnatorum subjacere, quod etiam expressè tradit *Id. d. Concl. 89. nu. 6.* Sed vereor, ne hæc *Rosenthalii* rationes infirmiores sint, quàm ut novam hanc ejus de novo feudo opinionem, solidè queant confirmare, ideoque hac in parte ab ipso secedemus.

XIIX. Quæ itaq; feuda filii, quæ agnati revocare, & redimere queant vel non queant, hætenus dictum, resq;



resq; tot opinionum nebulis obfuscata, illatis distinctionum faculis, satis, ut opinor, illustrata est. Nunc ulterius quæritur; Cùm illi ipsi, quibus potestatem fecimus revocandi, quandoq; non ejusdem sint conditionis, sed possit unus præ altero alienantem propiori agnatione contingere; an tali casu janua omnibus indistinctè sit ad revocationem referenda? an ei tantùm, qui huic gradu sit conjunctior? Et *proximioris* potiores esse partes innuit Feudista, in §. *porro. II. Feud. IX.* Tametsi igitur feudum in remotiorem jam translatum sit, tamen proximior agnatum ab eo illud revocare posse, expressè dicitur in §. *Titius II. Feud. XXVI.* Adeò ut, quando agnatus remotior jure retractus feudum venditum revocaverit, proximior defuncto alienatore vasallo, & sic loco successionis sibi aperto, id jure proprio, & sine precio ab isto remotiore, petere ac vindicare possit. *Rosenth. d. c. 9. Concl. 82. n. 10.* Pluribus tamen in eodem gradu existentibus, omnes admittentur ad revocationem: e. gr. Si tres sint fratres, quisque eorum pro ratâ feudum revocare poterit. Quòd si unus vel alter ex fratribus præmortui sint, eorum liberi portionem parentis representationis jure, etiam de Jure Saxonico, recuperare poterunt. Casu v. quo soli fratrum filii adsunt, quia tunc jus representationis cessat, quilibet virilem suam portionem persequetur. Neque oberit, si in unum fortè ex proximioribus feudum fuerit alienatum. nam & isto casu cæteri pro ratâ suâ id repetere non prohibebuntur.

XIX. Cæterùm ista ita se habent, quando proximiores jure suo uti volunt & valent. Illis verò revocare nolentibus, vel etiam non valentibus, an jus revocationis ad subsequentes in gradu ex capite edicti success.

C

ces.

cessorii devolvatur? disquiritur. Et *Vultejus* quidem, d. c. 11. nu. 101. quod ad revocationem propriè dictam spectat, agentem partem amplexo, rem nullum habere dubiū putat, quem videtur sequi *Gotfr. Anton. Diss. Feud. X. tb. 5. lit. d.* Verūm res profectò dubio non caret: ideoque nos plenius distinguemus inter casum voluntatis & impotentia. Quoad *casum impotentia* rursus subdistinguendum putamus, an quis revocare non possit propter consensum præstitum, vel quòd sit hæres alienatoris: an verò propter aliam causam impediētem, inopiam forte, vel absentiam. Ibi nequaquam statim concessum est remotioribus, feudum alienatum revocare, quod tamen putat *Vultejus*: sed expectandum, usq; dum post prolem alienatoris sublata, etiam proximiores cum suis descendētib; factis concesserint. Hic v. si nim. proximiori non suppetent sumtus ad persequendam, adversus potentem, fortè adversarium, actionem revocatoriam necessarij, vel etiam iste longinquis in oris per multum tempus versetur, ita ut ignoretur, vivatnè an mortuus sit? vel utut vivat, an unquam illas in terras, ubi feudum situm est, propter maximam locorum intercapedinem, sit rediturus? aliud dicendum, & remedium revocationis remotiori, & quidem postremo in casu sub cautione, sese feudo benè usurum, & redeunti olim proximiori agnato restitutum, concedendum arbitramur. Quoad casum voluntatis interesse rursus putamus, an propterea nolit revocare anterior, quod velit rem apud possessorem remanere: an quod simpliciter feudum repudiet, vel planè pro derelicto habeat? Priori casu excludendus à remedio revocationis videtur remotior; non posteriori. *Add. Rosenthal d. cap. 9. Concl. 82*

XX De jure protimiscos rursus indistinctè diver-  
sum statuit per §. *Sed etiam res. II. Feud. tit. III. Rosenthal*  
*d. Concl. 82.* proinde si unus v.g. eorum, qui in uno eo-  
demque gradu sunt constituti, ob causas jam dictas  
redimere feudum alienatum vel nequeat, vel etiam  
nolit; portio ejus, secundum Rosenthal, cæteris retra-  
here valentibus & volentibus accrescet: vel si proximio-  
res redimere nolint, vel nequeant, jus retrahendi mox  
per Edictum successorium ad gradus sequentes devol-  
vetur, sicut communius placuisse tradit *Vultej. d. c. II.*  
*nu. 101.* Contrà quam vult *Hartman. Pist. q. 12. nu. 65. &*  
*seqq. p. 1. lib. 2.* quem sequitur *Id. Vult. d. l.* (ubi ejus opi-  
nionem veritati juris magis consentaneam, & suâ qui-  
dem sententiâ, non docendo tantùm sed consulendo  
etiam, & judicando sequendam existimat) nos v. hic  
denuò deseremus: nisi feudum noviter fuerit ab alie-  
nante acquisitum: quia enim tunc, secus ac putat *Ro-*  
*senth.* nec ipsis proximioribus competit revocandi po-  
testas, absurdum foret, si eam facultatem vellemus  
concedere remotioribus. An autem hoc jus retractus  
cum consensu Domini extraneo, vel sine eo, remotio-  
ri agnato in præjudicium intermediorum cedi possit?  
de eo *vid. laudatum Rosenth. Concl. 92. n. 3. & seqq.* magis  
pro affirmativâ, quam negativâ (*vid. tamen n. 8*) dispu-  
tantem, quam tamen nos probabiliorem arbitramur,  
cùm propter rationes *ab Eodem l. c.* allatas, tum ne va-  
fallis, quod directò non possunt, per indirectum, feu-  
dum in extraneum aut remotiorem, exclusis cum jure  
suo *πρόληψεως*, agnatis, vel proximioribus transferre  
permittatur, quod jura non patiuntur.

XXI. In tantum autem in terminis sc. *ju. is revo-*  
*candi in specie ita dicti* proximitatis habetur ratio, ut ta-

ibano

C 2

metfi

metſi quis feudum ſuum proximiori agnato, qui ſibi defuncto ſuperſtes ſucceſſurus erat, vendiderit; tamen, ſi proximior ille ante venditorem deceſſerit, alius deinceps agnatus, qui eo tempore, quo moritur venditor, proximum ſucceſſionis gradum obtinet, feudum alienatum revocare poſſit ab hæredibus emtoris, utpote tum temporis remotiore gradu alienantem attingentibus, ut rectè *arg. l. 114. §. 11. ubi Bald. Paul. de Caſtr. Imol. & Dd. D de legat. 1. junct. l. 77. §. 10. de legat. 2. & tit. L. in fin. Feud. II. deducit Hartman. Piſt. q. 6. n. 43. & 44. lib. 2. p. 1. Vult. d. l. n. 100.* Qualitas itaque iſta proximitatis non præciſè ex tempore alienationis æſtimanda eſt; ſed imò potiùs ex tempore revocationis. Sufficit enim ſi feudum repetiturus, tunc, cum, delatâ ad ſe ſuccedendi facultate, revocare vult, ſit proximior, etſi cum alienatio facta eſt, alii eum anteceſſerint. nam ſi iſ, qui alienationis tempore erat proximior, jure ſuo non utatur & moriatur, alter, qui fuerat remotior, incipit fieri proximior, & ex eo habere jus revocandi *per d. l. 77. §. 27. de legat. 2. Piſtor. d. q. 6. nu. 35. & ſeq.* Undè etiam eſt, quòd illi etiam, qui tempore alienationis planè in rerum naturâ non extiterunt, vel nondum nati erant, poſteà ubi nati, vel occaſionè nacti fuerint, revocare non prohibeantur, ut tradunt *comunitè in §. Hoc quoq. I. Feud. VIII. & in §. ſi quis. §. vers. Titius II. Feud. XXVI. add. Piſtor. d. l. nu. 37. & ſeqq. Vult. d. l. nu. 98. & 99.*

XXII. Porrò quoniam non ſemel in præcedentibus mentionem fecimus *conſenſus* illorum, qui in veſtiturâ comprehenſi, ejuſdemque effectuum, quòd vel impediatur revocationem, ſi in alienatione adhibitus ſit; vel ſi id non factum, facultatem tribuat revocandi.

candi feuda alienata, res ipsa postulare, imò flagitare videtur, ut quando ille intervenisse dicendus sit, paucis etiam propter controversias hic non rarò incidentes, explicemus. nam cum aliàs dupliciter quis consentire in aliquid possit: tacitè nim. & expressè; de expressâ quidem voluntate res minus difficultatis habet, sive ea fuerit declarata in ipso actu alienationis, etiam illicitæ; sive ante vel post eam: Semper enim illa obligatum tenebit consentientem: cum rati habitio non minus hoc in casu, quàm in aliis actibus, retrahatur & idem operetur, quod consensus in ipso negotio interveniens. *pr. II. Feud. XXXIX. junct. cap. 10. ibiq. Dyn de R. J. in 6. l. 56. de judic. ibiq. Costal.* Verùm de tacitâ voluntate disceptatur, si quis v. g. præsens sit, cum feudum venditur, vel oppignoratur, & quid geratur, sciat, intelligat, nec tamen contradicat, vel protestetur; an tunc consensisse putandus sit, & propter tacitum præsumtūque hunc consensum à remedio revocationis prohibendus? Quod nos negamus. Licet enim regulariter præsens & tacens, si non contradicat, consentire videatur, *c. 43. de R. J. in 6. junct. l. 63. de judic. l. 6. §. 1. de pignorib.* fallit id tamen, si quis contradicendo actum aliquem impedire nō possit, sicut hic regulariter filii & agnati, quibus revocandi facultas, ut ex seqq. apparebit, post mortē demum alienantis aperitur. quod jus quia sibi semper salvum futurum non ignorant, nequaquam in eo solâ suâ taciturnitate præjudicium sibi attulisse præsumendum est. Dico solâ taciturnitate. nam si ad istam præsentis taciturnitatem positivum, aliquod quod vocant, & factum, consensum apertè demonstrans (*ut puta si scripserit aut subscripserit instrumentum venditionis, vel persuaserit emtori, ut emeret, vel*

ei evictionem sese præsiturum sponderit) accesserit, aliud dicendum est *arg. l. 26. §. 1. de pignor. l. 9. de dol. mal. l. 11. C. de evict. junct. l. 17. D. eod.* sicut & tunc, ubi dolose & fraudulenter, & sic animo decipiendi agnatum alienationi præsens tacuisse probatum fuerit, in odium ejus taciturnitas pro consensu habebitur. De isto autem casu, quem ponit *Rosentb. c. 78. nu. 18.* Si in agnati præsentiâ vasallus inter vendendum protestetur, aut declaret expressè, se per hujusmodi venditionem intendere juri agnati derogare, aut tale quid dicat, quod jus agnati imminueret, & hoc contractui apponeret, agnatusque præsens non contradicat, aut protestetur, quod tunc videatur acquiescere & consentire; meritò dubitamus: nisi agnatus expressè ad hoc, ut venditioni consentiret, vel contradiceret, vocatus comparuerit, & contractum desuper celebrari audiverit, ac non contradixerit. *vid. Eund. n. 20. Et omninò totam istam Et antecedentem ejus conclusionem.*

XXIII. An autem idem juris sit in revocatione, qua fit jure *Retractus*, dubitari potest. non enim de eâ dici potest, quod de alterâ, quæ fit jure successionis; nim. illud jus nondum apertum esse. tantum enim abest, ut jus προλήσεως post defunctum demum alienatorem aperiat, ut illud statim post celebratum contractum per modum Redemptionis, imò nonnunquam etiam ante ejus perfectionem, per modum prohibitionis exerceri possit, de quo *jure prohibendi text. in §. porrò. II. Feud. II. ubi Dd.* videtur igitur dicendum, agnatum alienationi præsens & tacentem, taciturnitate sibi suâ tum viam ad revocationem ex jure προλήσεως interclusisse. Verum & hoc inficias imus: cum non minus hîc, quàm illic scire potuerit agnatus, jus sibi su-

si suum integrum & saluum futurum: & fortean posset ad excusationem ejus dici, eum v. g. secum dubitavisse, an tantum pecuniæ, quantum alius solvere paratus est, vel omninò; vel tam citò corradere quiret: & ut ut hoc queat, an etiam expediat tantam vim pecuniæ in ejus rei emtionem expendere, & qs. profunderè, quam forte brevi absq; precio possit jure successione adipisci. Quanquam præscindendis disputationibus melius faceret agnatus, si ita dubitans tempus deliberandi peteret, quàm prorsus taceret, quod spacium ipsi concedere contrahentes omninò tenerentur.

XXIV. Sed quid dicendum, si iste agnatus à venditore requisitus feudum emere *recuset*: an non eo in alienationem consensisse præsumetur, & juri retrahendi renunciasset? Distinguemus *cum Gothofredo Anton. d. disp. Feud. X. th. VI. lit. b.* ex modo requisitionis & responsionis agnati: Aut enim inquit ille, requisitus fuit simpliciter, sine precii & emtoris designatione, & si recusat, in jure protimiseos sibi nō præjudicat: aut precium & nomen emtoris ipsi indicatum fuit, & tūm vel indicanti nihil respondet, & adhuc jus suum saluum habet, &c. vel respondit, emtionemque expressè recusavit, & omninò excludetur. *Hartman. Pistor. q. 12. n. 62. & seq.* Hactenus *Gothofred. Anton.* qui ibid. adducit *Fachineum lib. 7. Controv. juris c. 6.* dissentientem, & agnatos indistinctè excludentem, nec non *Matth. Wesenbecium ad Nov. Elect. August p. 2. Const. 32. addentem*, sic tenere *Wittebergenses*; quod etiam sentire videretur *Dan. Moller. ead. Constit. 32. nu. 17.* Beneficio tamen revocandi ex jure successione eo ipso, quod quis emere recusavit, renunciasset non censetur, *Pistor. d. q. 12. n. 46. 47. & seq. arg. l. 13. C. de jur. deliberand. Decius in l. 91. de*

*de R. J. cum aliis in hac sententiam cumulatis à Tirag.  
de Retract. §. 1. gl. 9 nu. 124. & nu. 161.*

XXV. Illa alia quæstio est, An ita verè consentientes sibi solùm an verò etiam successoribus omnem omnino feudi revocandi facultatem præcludant adimant que. Quam ibidem *cum Vult. c. 11. nu. 102.* simpliciter affirmat *doctiss. Antonius*, rejectâ opinione *Curtii Junior. Schraderi, Mynsingeri & Wurmbseri*, distinguuntur inter consensum simplicem, & eum, qui cum obligatione de non contraveniendo conjunctus est: de quâ distinctione latè *Rosenthal d. Concl. 79.* Nos ex superioribus discriminamus inter feuda hæreditaria, & non hæreditaria. In hæreditariis dicimus obstare consentientis voluntatem & factum quibuscunque suis hæredibus: in non hæreditariis (tam eo, quod nos in specie ita appellamus, quàm quod ex pacto & providentiâ appellatur) novis, nostrâ sententiâ, successores consensui alienantis parentis vel agnati acquiescere, eumq; ratum habere tenentur. In antiquo non hæreditario filii quidem contravenire facto parentis consentientis nequeunt: Agnati v. non prohibentur. In feudo tandem ex pacto & providentiâ antiquo neque filii, neq; agnatis consensus prædecessoris impedimento erit, quo minus revocationem efficaciter instituere queant. Illa adhibitâ semper limitatione, nisi consentientis hæredes fuerint, ejusque hæreditatem creverint omisso Inventarii beneficio, quo de, ut & observantia Juris Saxonici propter Edictum Torg. contrariâ in præcedentibus.

XXVI. Non est autem sicco pede prætereundem quod manet *Rosenthal Concl. 80.* istum consensum strictè accipiendum, nec de personâ ad personam,  
nec



nec de re ad rem, neque de causa ad causam extendendum aut porrigendum esse. Itaque si, v. gr. Titius agnatus consensit Sempronio, ut feudum Saxonicum, oburgens aliquod æs alienum, isti inhærens Lucio venderet. postea autem Sempronius feudum Hassiacum Cajo vendat, & ad hoc abuti velit consensu Titii definitè dato, non sine causa reclamabit iste, & se ad revocandum vel redimendum admitti petet. Potest & istud addi exemplum: Sempronius vasallus vendere vult feudum suum Mævio, agnato in quarto gradu, in quod consensit Titius agnatus in tertio gradu positus. Sempronius post animo mutato istud feudum distrahit in Cajum extraneum. Hic etsi Titius à Mævio feudum alienatum propter datum consensum revocare nequeat; illud tamen à Cajo, in cuius personam non consensit, recuperare non prohibetur: quia enim consensus Titii non fuit generalis, sed ad certam personam ex suâ familiâ determinatus, certè ipsi injuria fieret, si iste consensus ejus ad aliam extraneâ familiâ personam extenderetur. Cessante siquidem personâ, cujus contemplatione consensum fuit, consensum quoque amplius consentienti, aut ejus hæredibus non adversari dicendum est. *l. 28. de legat. 2 l. 1 §. 43. de aq. quotid. §. estiv. l. 126. §. 2. in fin. de V. O. quas ad hoc inducunt Schrader. p. 8. c. 5. nu. 9 & Hartman. Pistor. q. 7. nu. 36. 37. & 38. p. 2.*

XXVII. Vidimus hucusque *Quinam qua feud revocare & etiam redimere possint*: Nunc etiam dispiciendum *de tempore, intra quod revocatio instituenda*. nec enim putandum est consuetudines feudales negligentibus agnatis permittere, ut feuda sua alienata in infinitum revocare & retrahere queant: sed sicut Jure Civili ex ipso rectæ rationis dictamine dominis certa

D

tem.

VIZX

tempora præstituta sunt, intra quæ bona sua amissa  
inquirere & repetere debent: quib9 elapsis ad ea postea  
non admittuntur: Ita etiam hic sese res habet, ne vide-  
ret dominium utile semper sit in incerto, & posses-  
sores in perpetuo q̄s. metu rem feudalem rursus  
avocatum iri relinquuntur. Separanda a. denuò Re-  
vocatio in specie dicta, à Redemtionem, sive Retractu.  
Ad illam instituendam concessum est tempus XXX.  
(in for. Saxon. XXXI.) annorum, proximiori à morte  
ejus, qui feudum alienavit, vel si iste descendentes (in  
casibus, quæ ipsi revocare prohibentur) reliquit, à  
morte ultimùm decedentis; remotiori verò ab ex-  
cessu proximiorum propter consensum, vel etiam  
impletam contra ipsos præscriptionem, revocare nō  
valentium, computandum. Quod quidem apud o-  
mnes extra controversiam positum est, si feudum in  
extraneum sit alienatum: Sed si in remotiorem a-  
gnatum facta fuerit alienatio; quanquam propter §. 5.  
*vers. Titius II. Feud. XXVI* & *gloss. ibid.* frequentissima &  
concors Interpp. doctrina ab Oberto usq; fuerit, quod  
revocationi anni spacio contra proximiores scientes  
& tacentes præscribatur (quam veram etiam & ge-  
nuinam d. §. mentem atq; sententiam observatione, o-  
ptimâ legum interprete comprobata, ideoq; ab eâ  
non recedendum dicit *Rosenth. c. 95.*) solus tamen *Hart.*  
*Pistor.* cornicum oculos confixit, dictumq; versiculum  
subtiliter & eruditè de jure redimendi interpretatus,  
jus revocandi, illo non obstante, non nisi longissima  
XXX. annorum præscriptione agnato proximiori, si-  
ve ipsi res sit cum extraneo, sive cum agnato proximo-  
ri, tolli posse, contendit *q. 8. nu. 38. applaudente. Vultejo*  
& *Antonio dd. ll. nec non Magnif. Dn. Carpzov. p. 2. Const.*  
*§. a. def. 5. ubi præjudicia.*

XXIIX. Ad redimendum v. vel retrahendum feudū alienatum, annum solummodo spacium indultum & concessum est: quo elapso, feudum, sive illud in remotiorem agnatum, sive extraneum alienatū fuit, jure *προληψέως* sive Retractus revocari nequit. *per d. vers. Titius in verb per annum ex quo scivit, tacuit.* II. Feud. XXVI. *vers. porro. in verb. vel annali silentio, ex quo sciverit, computando.* II. Feud. IX. *Hartm. Pistor p 2. q. 17. n. 22. quem sequitur Rosentb. Concl. 93. n. 6. contra Dd. & Interpp communiter,* qui adversus extraneum, certè cōtra naturam juris *προληψέως* XXX. annos requirunt: quorum placitum cum diuturnā consuetudine passim legis vim obtinuerit, utiq; secundū illud extra Electoratum Saxoniae pronuntiandum erit, ut inquit *Carpzovius d. Const. 50. def. 4.* Extra inq. Saxoniae Electoratum. Serenissimus enim Septemvir Augustus veriorum *Pistoris* sui sententiam *in Edict. Torg.* amplexus, allegatam constitutionem 50. in quā prius communem approbaverat, rursus abrogavit, secundū quam intra ejusdem Electoratus pomeria hodiè pronuntiatur, atq; judicatur *laudat. Carpzov. ibid. def. 1.*

XXIIX. An autem annum illud spacium, juri retrahendi præfinitum à tempore celebrati contractus potius, quàm à tempore traditionis currere incipiat? *vid. dissentientes Dd. apud Gothofr. Anton. d. tb. VI. tit. d. prius affirmantem.* Illud extra dubium est, annum hunc non nisi à tempore scientiæ ejus, contra quem præscribitur, computandum esse, cum præscriptio annalis cōtra ignorantem, ut in aliis negotiis, ita & præsentī in casu non currat. *l. 15. §. 5. quod vi aut. clam. l. 6. de calumniat. l. de his qui not. infam. l. 2. quis ordo in possess.* Ideoque possessori, se præscriptione annali tueri volenti, rectè de ignorantia suā replicabit agnatus, quā præ-


præscriptionem ejus impeditam dicet, neq; opus habe-  
bit, ut propterea ad extraordinarium remedium resti-  
tutionis in integrum confugiat, quod eum hoc casu ex  
capite ignorantia habere volunt *Vasq. lib. 2. Illustr. con-  
trou. c. 95. Koppen. decis. 52. num. 28. & Gothofr. Anton. d. th.  
VI. lit. d.* Minori tamen scienti alienationem, annum i-  
stum currere, adeoq; remedium restitutionis in inte-  
grum necessarium esse, rectè tradit *Pistor. d. q. 12 nu. 33.  
& seqq.* Minori, inquam, non pupillo: illi enim itidem  
non currit annuū illud spacium. *Id. n. 32.* Illis tamen in  
locis, ibi jus *ωεγλημῆσεως* adversus extraneū totis XXX.  
annis agnato indulgetur, istud tempus etiam ignorantia  
currere, adeoq; nec ex clausulâ generali, Si qua justa vi-  
debitur etc. eum restituendū esse legibus nostris con-  
sentaneum est, quæ ejusmodi in casibus ex solo capite  
ignorantia læsis non succurrunt. *vid. l. fin. C. de præscr.  
long. tempor.*

XXX. Ex dictis nunc facile colligere est, quâ actione fi-  
lii & agnati feuda alienata recuperare queant. nim. ad instituē-  
dam revocationem feudi in specie dictam, quæ fit jure succes-  
sionis, Rei vindicatio illis competit. *arg. II. Feud. XXXIII. Ro-  
sentb. c. 9. Concl. 100. n. 9.* quæ tamen directa non est, sed utilis,  
qualis est ejus causa, utile nim. dominium, quod vasallus in  
feudo habet, ceu supra dictum. Pro retrahendo autem feudo ex  
jure *ωεγλημῆσεως* actionem personalem in rem tamen scri-  
ptam quæ possessoriam, quocunq; res vadat, sequitur, habent,  
*§. sed etiam res. II. Feud. II. l. d. vers. Titius. §. 5. II. Feud. XXVI. arg.  
l. 9. §. fin. quod met. caus. l. 3. ubi Bart. Bald. & Dd. C. eod.* Quam  
*Gothofr. Anton. Diss. Feud. X. th. II.* rectius conditionem ex mori-  
bus, quam *Dissut. XII. th. VI.* ex lege, appellat. De quo tamen  
nulli g. rem litteram movebimus, sed dissertationi nostræ colo-  
phonem imponemus. In qua si hallucinati fortean fuerimus,  
veniam petimus quâ eò facilius nos impetraturos confidimus,  
quo longius à libris nostris, aliis etiam avocati negotiis

istac conscripsimus.


DEO VERO SOLI GLORIA.





ULB Halle  
002 392 003

3




TA → OL

VD17









B.I.G.

Farbkarte #13

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

STATIO INAUGURALIS  
JURIDICA,  
DE

24.  
1651, 12  
13

VOCATIO.  
NE FEUDI,

Quam  
ADSPIRANTE GRATIA  
ORITATE ET DECRETO

obilissimi Jctorum in illustri Salana Ordinis  
SUB MODERAMINE  
obilissimi, amplissimi & excellentissimi

HANNIS THOMÆ,

P. celebratissimi, Consilarii Sa-  
cultatis Juridicæ ac Scabinatus Adses-  
foris spectatissimi,

ac promotoris sui at atem colendi,

PRO LICENTIA  
adipiscendi

troq; in Jure honores, privilegia  
& immunitates

Ad diem 13. Junii  
Publicæ censuræ submittit

LEONARDUS Kellner/  
rucisburgo Thuringus.

J E N Æ,  
GI SENGENWALDI, Anno clj lxx li.